

# OCTAVI SECULI MONUMENTA ECCLESIASTICA.

## PATROLOGIÆ EDITORIS MONITUM.

Hic locus esset plurimos sœculi VIII incerti nominis auctorum pœnitentiales libros recu-dendi, inter quos maxime Libros pœnitentiales a Marino, in appendice ad suum de Sacra-mento pœnitentiæ tractatum, et a Martenio, tomo VII Veterum Scriptorum amplissimæ Collectionis editos. Re autem maturius perpensa, satius duximus hæc ecclesiasticæ disciplinæ monumenta ad decimum vel fortasse undecimum sœculum protrahere, ita ut, plurimis in unum collectis, multiplicis disquisitionis tœdio lector non gravetur. Eo libentius autem ordini nostro ea in re infringendo manus dedimus, quod in Germania, ut audivimus, spe-ciales virorum doctorum lucubrations adorantur, quæ his antiquis Pœnitentialibus magnam lucem præferent.

## EXPOSITIO MISSÆ ROMANÆ

AUCTORE ANONYMO, QUI ANTE ANNOS NONGENTOS SCRIPSISSSE VIDETUR.

(Ex Marten., de antiquis Ecclesiæ Ritibus.)

### OBSERVATIONES PRÆVIAE.

Antiquam missæ Romanæ expositionem ex ms. codice monasterii sancti Albani apud Andegavos, ante annos septingentos scripto, hic exhibemus, quam saltem propter sui antiquitatem religiosis lectoribus haud ingratam fore sperare licet : hanc enim nongentos annos superare credimus, scriptamque priusquam in Galliis liturgiæ Romanæ ritus in-vehementer tria persuadere videntur. Primo, titulus ipse : nam *Expositio missæ Romanæ* idcirco inserpta appareat, ad distinctionem aliarum liturgiarum quæ erant tunc in usu, et maxime gallicanæ. Deinde *contestationis* vocabulum, quod auctor usurpat ad significandam præfationem, quæ illo nomine nuncupari solet in liturgia Gallicana. Tandem auctor de *dimissione* catechumenorum, tanquam de ritu suo adhuc tempore usitato loquitur sub finem in hunc modum : « Missa autem proprie tempore sacrificii est, quando catacumini foras mittuntur, clamante le-vita : Si quis remansit, exceat foras. Qui ritus si jam antiquatus fuisset, cum auctor ille scriberet, non mittuntur, sed mittebantur dixisset.

### INCIPIT

## EXPOSITIO MISSÆ ROMANÆ.

Quotiens contra se diversarum adque adversarum partium acies et castra consistunt, solent turmarum principes suos quisque subditos confortatoriis sermo-nibus admonere, antiquas parentum victorias et fa-ceta fortia replicare, Deum semper in tribulacioni-bus fieri adjutorem, non esse apud eum differentiam salvare vel in multitudine vel in paucis, ut dum bel-laturi milites verba exhortantis principis audientes, nonnullas ex parentum exemplis vires recolligunt, de Deo maximas sperant, adque humiliter ad debel-landum adversariorum castra procedunt, Dei se to-tos arbitrio committeantes, ipso in omnibus prælante, victoram consequantur, buccina etiam inter ipsa bellantium certamina clangitur, quo semper animus

ad spem victoriæ excitetur; et quanto vehementior fuerit clangor, tanto fit ad certamen animus fortior. Secundum hanc itaque militarem consuetudinem, in celebrandis quoque missarum solemnitatibus ab eccliarum principibus institutum est, ut primo quidem antiphonæ ad introitum plenæ Dei laudibus et victoriis, mediante sanctæ atque individuæ Trinitatis gloria, decentur. Deinde *Gloria in excelsis Deo dicatur*, et in terra pax hominibus bona voluntatis. Hinc prophætica vel apostolica lectio, sancta et salu-bri admonitione plenissima recitetur, quam et prophætarum et apostolorum omnium Domini doctrina evangelica more tubæ prolixius atque altius concre-pans consequatur; interpositis sauz cantilenæ sua-vitatibus ac Dei laudibus sublimius modulatis. Se-*citur* singula prosequamur, cum constet nos semper orare debere, et nunquam desicere? Quid autem orare debeamus ipse Dominus et Salvator noster edicit: *Vigilate et orate, ut non intretis in temptationem*, quod etiam princeps apostolorum Petrus admo-net dicens: *Sobrii estote et vigilate in orationibus*; ad quid? *quia adversarius, inquit, vester diabolus tanquam leo rugiens circuit querens quem devoret*. Si ergo vigilandum nobis est et orandum ut non in-tremus in temptationem, temptatio autem per diabo-lum adversarium nostrum nobis intenditur, manife-stum est contra quas nobis sit hostium acies dimi-candum, et quas beatus apostolus Paulus oculis, ut ita dixerim, nostris proponit, cum dicit, *Non est no-bis conluctatio adversus carnem et sanguinem, sed ad-versus principes et potestates, adversus mundi recto-res tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiae in cœlestibus*. Hi sunt illi fortissimi atque experien-tissimi-hostes qui nisi orationis assiduitate nequeunt

debellari, monente nos eodem Apostolo ac dicente : *Sine intermissione orate.* Ad hanc igitur pugnam in dominum Domini sacris solemnitatibus convenitur, ipso Domino sic loquente : *Domus mea domus orationis vocabitur.* Sed quoniam animus ad multa divisus, tumultibus curarum sacerdotalium perturbatus, et non statim ut ecclesiam ingredimur, omnium mundi hujus sollicitudinum possumus oblivisci, quo purius et attentius puriorem atque attentioram orationem ad Dominum fundere valeamus, quod antiphona ad introitum decantatur, et suavi modulatione interposita, nec non et *Kyrie heleyson*, id est, Domine, miserere nobis, et *Christe heleyson*, id est, Christe, miserere nobis, flebilibus ac prolixioribus vocibus conclamatur, lectio prophetica vel apostolica et evangelica recitat : preparatio est et excitatio animorum, ut animus populi a mundanis cogitationibus his omnibus paulatim avulsus ad cœlestia cogitanda ac desideranda trahatur, quatinus eo tempore quo a sacerdote salutatus admonetur, ut sursum habeat cor, verissime valeat respondere, *Habemus ad Dominum.* Nam si tempore hujus tam arduæ responsionis animus cujusquam curis sacerdotalibus degravatur ac premitur, et se sursum habere cor ad Dominum mentiens, protestatur; inde incurrit poenam, unde poterat veniam promereri, inde ab hoste prosternitur, unde hostem poterat superare : scriptum est enim, *Os quod mentitur occidit animam;* et, *Perdet omnes qui loquuntur mendacium.* Purificandus est itaque orantium animus, et cum Dei adjutorio ad cœlestia cogitanda ac desideranda levandus, ut poenam mendacii possit evadere, et hostes suos quanto fortius orando debellaverit, vel prosternere vel fugare. Sciendum enim quod sicut vita corporis anima est, ita vita animæ Deus est, et sicut recedente anima moritur corpus, ita recedente Deo moritur anima. Si autem *os quod mentitur occidit animam*, ergo etos quod verum dicit vivificat animam. Ore igitur mentiente, recedente Deo, moritur anima : ore vero vera dicente, accedente Deo, vivificatur in illis duntaxat sermonibus qui et boni sunt et ad ædificationem opportunitatis perferuntur, et audientibus gratiam dant : tantum denique merebitur cujusque tunc ex circumstantibus anima Deo miserante vivificari, quantum sursum se habere cor veracius ore responderit : et tanto amplius Dei offensione mortificabitur, quanto id in conspectu ejus mendacius presumpserit respondere. Illud etiam summopere advertendum est, quod corpus humanum cum et oculos habeat, et aures, et nares, et os, et manus, et pedes, desertum tamen ab anima neque oculis videre, neque audire auribus, neque naribus aliquid odorare, neque ore quicquam gustare, neque manibus valet aliquid operari, neque pedibus ulla tenus ambulare; anima quippe manens in corpore et per oculum videt, et audit per aurem, et naribus aliquid odoratur, et loquitur per os, et manibus aliquid tangit, et pedibus ambulandi gratiam subministrat. Cum igitur oculus animæ vis illa sit qua Deus vel intelligitur, vel videtur, auris qua voci ejus humiliiter

**A** obeditur, nares quibus bonus Christi odor percipitur, os quo suavitas ejus gustatur, manus qua operatur aliquis opus Dei, pes quo in eodem opere proficere non desistit, Deo qui animam vivificat ab anima recedente, nihil horum sine illo anima valet, nam neque mundo corde Dominum potest vel intelligere vel videre, neque inclinare aurem suam in verba oris ejus, neque odorem notitiae ipsius in vitam percipere, nec gustare et videre quam suavis est Dominus, nec aliquid boni operis vel meditari, vel exsequi, nec dilatato per caritatem corde viam divinorum currere mandatorum : sicut enim corpus hominis ab anima vim accipit aliquid faciendi, sic etiam anima vim cuiuscumque boni semper a Deo accipit, quam deinceps corpori subministrat ; unde et **B** sacerdos post omnia quæ supra memoravimus populi oblatione suscepta, ac Deo interim brevi oratiuncula commendata, in hanc protinus vocem erumpit :

*Dominus vobiscum.*

Nec vero vel sursum corda nostra erigere, vel dignas Deo gratias agere, vel ut nostræ voices laudibus virtutum cœlestium conjungantur valebimus obtinere, nisi cum anima nostræ Deus fuerit vita, videlicet sua : quod etiam Dominus Jesus qui de semetipso ait, *Ego sum via, et veritas, et vita,* ascensus in cœlum discipulis suis promisit dicens : *Ecce ego vobis sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* et quadam loco in Evangelio ait : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.* Salutat igitur sacerdos populum cum dicit : *Dominus vobiscum;* et orat ut sicut ipse est dignatus promittere, sit cum ecclesia sua, in qua non solum duo vel tres congregantur in nomine ejus, verum etiam innumerabilis hominum in se credentium multitudo. Hoc autem salutationis verbum, id est *Dominus vobiscum*, non humana ex cogitatione factum atque compositum, sed cœlesti et divina auctoritate susceptum est : nam et in Veteri Testamento legitur quod Gedeon unus judicum populi Israel ab angelo salutatus audierit, *Dominus tecum, virorum fortissime;* et in Novo beatam et gloriosam semper virginem Dei genitricem Mariam his verbis angelus scribitur salutasse : *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Et iterum dicit per Malachiam prophetam : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Si ergo sacerdos scientiam custodiens et legis Dei præcepta plebi adnuntians, angelus Domini exercituum est ; dignissime omnino et consequenter eis populum verbis salutat, quibus et illi cœlestis patriæ spiritus, angelorum vocabulo et dignitate donati, homines, quibus aliqua nuntiare missi sunt, salutasse leguntur. Neque hoc nomine quilibet sacerdos insuletur, non enim dictum est quod omnis sacerdos angelus Domini exercituum est ; sed ille videlicet solus, cuius et labia custodiunt scientiam ; et ex cuius ore lex Dei requisita docetur. Studeat ergo imprimis qui hoc nomine delectatur, scientiam divinæ legis habere per intelle-

ctum, et custodire per operationem : studeat eamdem legem Dei, quam et intelligit et operatur, populo nuntiare ; et tunc demum tanto aliquis vocabulo dignum se esse non dubitet, ut scilicet angelus Domini exercituum nominetur, et sit. Illud etiam nullatenus pretermittendum puto, quod ab episcopis populum salutantibus non solum *Dominus vobiscum*, verum etiam *pax vobiscum*, vel *pax vobis* soleat exclamari : enim vero neque hoc a magno mysterio vacat, dicit namque Dominus in Evangelio de se ipso : *Ego sum pastor bonus*, et paulo post : *Sicut novit me Pater et ego agnosco Patrem*, et *animam meam ponō pro oībus meis* : nec non et post resurrectionem suam easdem oves suas commendans apostolis, ait ad beatissimum Petrum : *Pasce oves meas*, in quibus pascendis, ut se quoque pro eis moriendo imitaretur adjuxit : *Cum essem junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extenderes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis*. Hoc autem dixit, inquit evangelista, significans qua morte clarificatus esset Deum. Constat igitur Dominum Jesum Christum pastorem bonum relicturum mundum et redditurum ad Patrem, ad pascendum oves suas Petrum, et in Petro ceteros coapostolos Petri, nec non et omnes apostolorum successores, id est episcopos, loco proprio reliquisse, eos videlicet qui caritate et ætate Petri curarunt suscipiunt Petri, id est non solum principem pastorum Dominum Jesum plus ceteris diligentes, verum etiam pro oībus sibi creditis mortem subire parati. Hi ergo summi pastoris loco et vice agentes, consequenter oves sibi creditas ejusdem summi pastoris voce salutant : scriptum est enim in Evangelio, quod foribus clavis Dominus ad discipulos suos ingrediens, atque in medio eorum consistens, hoc eos sermone salutaverit dicens : *Pax vobis*, in aliis quoque locis idem fecisse non ignoratur. Salutant ergo episcopi populum voce summi Pastoris, ut ostendant se loco summi Pastoris oves ejus non solum pascere debere, verum etiam pro eis mortem libenter amplecti. Tam sancta itaque et salubri oratione ac salutatione sacerdotis libenter accepta, ne salutationi ejus videatur ingratus existere, salutat populus sacerdotem dicendo :

*Et cum spiritu tuo.*

Orat autem ut Dominus cum spiritu etiam sacerdotis esse dignetur. Non parvam ergo resalutationis gratiam sacerdos a populo accipit : sicut enim solus ille salutans Dominum, ut cum omnibus esse dignatur oravit ; ita etiam ab omnibus ipse resalutatur orantibus, ut Dominus cum spiritus ejus sit, scilicet ut Dominus, sicut totus cum omni populo est, ita etiam spiritu sacerdotis totus sit : spiritus enim est Deus, et ideo ut cum spiritu sacerdotis sit a populo exoratur.

*Sursum corda.*

Tam benevole ac reverenter sacerdos a populo resalutatus, admonet eum ut sursum habeat cor : quatinus accipere quod postulat a Domino merca-

A tur. Nec vero deorsum cor habentes aliquid possumus desursum accipere : quid est autem sursum habere cor, nisi quæ sursum sunt querere, ubi Christus est in dextera Dei sedens ? Quid est sursum habere cor, nisi quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram ? *Mortui enim estis*, inquit Apostolus, *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Vitam igitur nostram quæ cum Christo in Deo abscondita est, mortificatis omnibus terrenis concupiscentiis, spirare debemus, et ad illam semper corda nostra erigere ; quod illi non faciunt, qui mundum et ea quæ in mundo sunt, diligunt : *Omne enim quod in mundo est*, ut Joannes apostolus ait, *concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ : quæ non ex Patre, sed ex mundo est*. B Quisquis ergo concupiscentias earnis, et concupiscentias oculorum in semetipsa non mortificat per continentiam, sed magis vivifcat per incontinentiam, iste diligit mundum et ea quæ in mundo sunt : qui autem diligit mundum, sicut idem apostolus ait, non est dilectio Patris in illo : et ideo debemus diligere Dominum Deum nostrum ex toto corde nostro, et ex tota mente nostra, et ex tota virtute nostra, et proximos nostros, omnes videlicet homines, sicut nos ipsos : si enim hoc Dei gratia inspirante valuerimus implere, nullum in corde vel in mente nostra locum mundi dilectio poterit invenire, sed calcatis atque mortificatis omnibus mundanis concupiscentiis, verissime hæc admonenti sacerdoti poterunt responderi :

*Habemus ad Dominum.*

Nec parva nobis, si cor sursum habere curaverimus, merces promittitur : ait enim supra memoratus apostolus contra eos quidem qui mundum et ea quæ in mundo sunt diligunt, et mundus transit et concupiscentia ejus. De illis vero qui Deum ex toto diligere student : *Qui autem fecerit voluntatem Domini, manet in æternum, sicut et ipse manet in æternum*. Qui ergo cor deorsum inclinant, et mundum concupiscentiasque ejus brutorum animalium more sectantur, transeunte mundo et concupiscentiis ejus, ipsi etiam pariter pertransibunt, non ubi feliciter manent, sed ubi infeliciter ac miserabiliter pereant in æternum. Qui autem corda sua per dilectionem ad

D Deum erigunt, et vitam suam cum Christo in Deo absconditam semper desiderant, possuntque dicere cum Paulo apostolo, *Quia autem jam non ego, vivit vero in me Christus : et, Miki mundus crucifixus est, et ego mundo : et, Nostra autem conversatio in celis est*, isti sine dubio voluntatem Domini faciunt. Hi ergo cum mundo et concupiscentiis ejus transeuntibus non transibunt atque peribunt, sed manente Domino in æternum, quia voluntatem ejus fecerunt, et ipsi pariter in æternum manebunt.

*Gratias agamus Domino Deo nostro.*

Beatus Baptista Joannes in Evangelio dicit : *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de celo*. Ac ne putans te aliquid habere posse quod non acceperis, hanc ipsam sententiam Paulus im-

plet : *Quid enim habes quod non accepisti?* Et item ad discipulos Salvator ait : *Sine me nihil potestis facere,* quo in se loquente, beatus Jacobus apostolus ait : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Si ergo non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de coelo, nihil autem habet quod non acceperit ; unde tantam dilectionem vel accipere poterit vel habere, qua cor suum ad Deum semper habeat, nisi data fuerit ei de cœlo ? et si sine illo nihil possumus facere, per quem possumus mundum et quæ sunt in mundo desplicere, et soli Deo ex totis mentis et corporis viribus anhelare, nisi per eum sine quo nihil possumus ? Aut quomodo sursum cor erigere possumus, unde omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit a Patre luminum, nisi ipso Patre luminum tantum nobis donum suæ gratiae conferente ? Hortatur itaque sacerdos, ut qui tanta beneficia a Deo percepimus pro acceptis beneficiis datori beneficiorum Deo ingrati non simus, sed condignas ei gratias pro acceptis tantis beneficiorum exhibentes, non nos tribuamus quod facimus, sed illi qui operatur omnia in omnibus, quique operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate, ut dum nos recognoscimus nihil a nobis habere, totumque ad Deum referimus quod eo donante accepimus, et humilitatis nostræ memores in superbiam non levemur, per quam in judicium diaboli incidamus ; et in omnibus honorisletetur Deus, per quem hanc ipsam quoque humilitatem habemus. Tam sancta igitur et salubri admonitione populus libenter accepta, sacerdoti cum magna devotione respondet :

*Dignum et justum est.*

Nihil indignius quam largitori omnium beneficiorum Deo de beneficiis suis quemlibet ingratum existere. Nihil profecto est dignius, quam ei etiam pro gratiæ sua donis omni semper humilitate gratias agere, per hoc enim non solum nos memores nostræ humilitatis efficiuntur, et ipse in omnibus conlaudatur, verum etiam majora apud illum et abundantiora beneficia et promeremur et obtinemos. Quid est autem injustius quam pro Dei beneficiis contra ipsum rebellii et superba mente tumescere ? Denique proximis nostris ex lege Dei jubemur malum pro malo non reddere. Si ergo injustum est proximo malum pro malo reddere, quanto injustius esse putamus factori et liberatori nostro et proximorum nostrorum Deo reddere mala superbiae pro bonis gratiæ sue ? Post hæc sacerdos jam de populi devotione securus, responsionem ejus verissima attestatione confirmans, unde et sequens oratio, nisi fallor, *contestata* in commune vocatur, mentem suam etiam ipse totam erigit sursum, atque in his verbis excelso supplicat Deo :

*Vere Dignum, etc. usque ad gratias agere.*

*Omnis enim peccaverunt, inquit Apostolus, et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Dignum itaque*

A procul dubio est, ut qui omnes peccantes justificavit gratis per gratiam suam, gratias sibi ab omnibus actas recipiat : justum omnino est, ut quia omnes peccaverunt, et omnes gloria Dei egent, et gratis per gratiam ipsius justificati sunt, quando meritum habere non potuerunt; saltem gratias agere non desistant : in tantum denique et justum est munus apud Deum actio gratiarum, ut non solum hoc a nobis in præsentis vita corruptibilitate constitutis requirat ; verum etiam in futuro, ubi corruptibile hoc indutum erit incorruptione, et mortale hoc indutum erit immortalitate, et sine intermissione videbitur Deus deorum sicuti est, attestante Propheta, qui ait : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in æcula sæculorum laudabunt te.* Sed quoniam laudes et gratiae Deo a nobis redditæ, non Deo sed nobis proficiunt ; ideo in hac tanta supplicatione subjungitur, *Æquum et salutare, nam æquus est secundum naturam, justus dictus ab æqualitate nature.* Condidit autem Deus hominem nulla pravitate nerversum, sed omni bonitate rectum et æquum, ad imaginem scilicet ac similitudinem suam, ut non modo in illa terrena felicitate paradisi sobrie, juste, et pie viveret, verum etiam in majori quandoque et spirituali felicitate constitutus, creatorem suum sine fine laudaret. *Æquum est ergo ut si volumus secundum naturam nostram justi esse, illud semper ad quod creati sumus facere studeamus, id est et in præsenti vita secundum æqualitatem naturæ nostræ viventes, creatori nostro de beneficiis suis incessabiles gratias referamus, atque ut in futura id ipsum incessabiliter faciamus, et toto semper affectu desideremus : hoc enim in tantum nobis salutare est, ut aliter salvi fieri nullatenus valeamus.* Quia igitur æquum est, debemus hoc ex naturæ debito proprio creatori : quia vero salutare est, necessarium etiam sine dubio nobis est ad æternam salutem. Quotiens ergo, ut supra dictum est, Deo laudes et gratias agimus, ipsi quidem hoc et ex naturæ debito et ex necessitate nostre salutis exsolvimus, sed illi qui in nullo indiget nihil proficiimus. Nobis autem si hoc negligimus in quantum deficiamus, in primi parentis nostri lapsu, quicumque voluerit poterit perpensare : ille namque ad imaginem et similitudinem Dei conditus, ad æqualitatem et societatem angelorum quandoque perducendus, ad visionem et laudem conditoris proprii sublevandus, paradisi cultor, omnium et piscium maris, et volatilium coeli et bestiarum, universæque terræ dominator, peccata cavens, justitia abundans ubi primum per superbiam depravatus non solum suo ingratu exstitit creatori, verum etiam Deo similis, immo Deus fieri concupivit, non modo ad illam futuram sui felicitatem non attigit, sed et quam tenebat amisit, et miserias mortalitatis et fragilitatis et calamitatis tantas invenit vel incidit, quantas sentiendo potius ac videndo, quam legendo, tam in se quam in aliis unusquisque cognoscit. Ut ergo ab hac miserrima infelicitate ad illam beatissimam felicitatem attingere valeamus, *dignum coram Deo et justum est,*

æquum nobis et salutare est, Deo et Patri nostro semper et ubique gratias agere : semper, ut neque de adversis murmuremus, neque de prosperis in superbiam erigamur, sed et aduersa nobis ex debito peccatorum nostrorum venire, et prospera ex divina dignatione et misericordia provenire cognoscentes; et de paternis flagellis <sup>a</sup> Deus ut nobis proficiant ad salutem. Et de gratuita bonitate ejus ne nobis proficiant ad ruinam, et semper mansueti atque humiles indesinenter gratias referamus, ut impleatur in nobis quod Propheta ait, *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Tunc denique sicut ut et ubique, id est in omni loco, id ipsum faciamus. Neque vero in illo mundi hujus loco consistere possumus, ubi non vel prosperis recreemur, vel affligamur aduersis. Quod autem sequitur :

*Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus.*

Cum et Dominus sanctus, et Pater omnipotens, et æterne Deus idem sit, non ex superflua verborum repetitio, sed ex magna ejus veneratione totiens proclamat : si quidem sunt, ut ait Apostolus, dii multi et domini multi : omnis enim qui servum habet etiam dominus jure vocatur ; sed homo dominus hominem servum habens servi semper indiget famulatu : ille autem solus Dominus sanctus est, cui Propheta humiliiter canit, et dicit : *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egis.* Homo ergo dominus servi indigens servitute, dominus esse potest, quia servum habet, Deus esse non potest, quia indiget servo. Deus autem Dominus nullius indigens servitute, et Dominus est, quia, sicut Psalmista ait, *omnia serriunt ei*; Deus est, quia nullius indiget famulatu : unde etiam et Dominus sanctus vocatur. Sicut enim vasa Domino consecrata, et panes propositionis, et sacerdotalia vestimenta, et sacrificiorum carnes in Veteri Testamento sancta dicuntur, eo quod a nomine contrectari, vel comedti, vel indui debant, nisi a solis quibus ex Dei lege concessum est, a ceteris vero omnibus omnimodis separarentur : ita Deus Dominus sanctus dicitur, quia ejus videlicet dominatio a dominatione humana sine ulla est comparatione disjuncta ; qui etiam Pater omnipotens Deus, ut preter illum nullus esse Pater omnipotens cognoscatur : namque homines ut patres suorum esse valent filiorum, necessario prius filii sunt patrum suorum. Deus autem Pater omnipotens dicitur, quia non solum per Filium omnia ex nihilo potuit creare, omnia cum ipso valet sine labore aliquo gubernare, verum etiam Filium sibi coeternum Pater ipse tantum, non etiam Filius ex propria substantia potuit sine immunitione vel mutabilitate aliqua generare : ipse est enim Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui et coeternum sibi Filium genuit, et ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur. Æternus quoque Deus dicitur, quia sunt, sicut ait Apostolus, dii multi, de quibus in psalmo scriptum est : *Deus deorum Dominus locutus est*; et, *Ego dixi,*

<sup>a</sup> Hic deest aliquid in ms. col., ut supplicandus, vel rogandus, aut quid simile; vel melius Dei in genitivo casu scribendum.

**A** *Dii estis ; et, Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos.* Sunt ergo sancti angeli Domini, sunt etiam et sancti homines dii, sed dii nomine nominantur, non æternitate, sed gratia ; nam æternum esse non potest quod commutabile factum est. Si autem sancti angeli a Deo creati non essent, nullatenus diceremus, *Benedicite, omnia opera Domini Domino*, et statim subjungeremus : *Benedicite, angelii Domini, Domino* : quod enim a Deo creatum non est, consequenter etiam opus Dei non est : item cum propheta non solum virtutes, solem et lunam, stellas omnes, et lumen, cœlos colorum, aquas quæ super cœlos sunt ad laudem nominis Domini, sed et angelos quoque omnes invitat : additque, *Quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* ; **B** quido satis ostendit ut cætera quæ subjunxit, ita etiam angelos Dei esse creaturam atque facturam, et nisi iidem commutabiles creati fuissent, nequamquam eorum pars non modica per superbiam cecidisset, quæ angelica prædicta dignitate diabolicam incurseret infelicitatem. Jam vero de omnibus quod ei creati, et commutabiles sint, qui nescit, non homo, sed pecus est. Deus ergo qui et initio caruit et sine carebit, nihil recipiens varium, nihil habens occiduum, omnium creator a nullo creatus, solus vere ac singulariter est æternus. Huic igitur Domino sancto Patri omnipotenti, æterno Deo, non per culpam primi parentis etiam indigentes, infirmi et temporales effecti, nullas per nos ipsos vel laudes vel gratias agere valemus : sed quoniam unigenitus Filius Dei Deo Patri æqualiter sanctus, æqualiter omnipotens, æqualiter æternus, inter nos et illum factus est mediator, per ipsum et quicquid gratiae cœlestis habemus accipimus, et per ipsum Deo Patri de beneficiis suis quæ nobis per Filium contulit gratias agere debemus ; sicut enim nihil a nobis habemus, sic neque per nos de aliquo gratias agere possumus : nam Deus cum sit in seipso justus, et immortalis, nos autem in nobis ipsis injusti atque mortales, nec per justitiam suam poterat parcere Deus injustis, nec per immortalitatem suam ullenus subvenire mortalibus. Deus ergo Dei Filius ut misericorditer redimeret quos justi si vellet puniret, mortalitatem nostram immortalis accepit, ut esset ubi mortem nostram quam nos injusti juste incurrimus, injuste gustaret justus, ac dia-

**C** bolus, cuius invidia mors intravit in orbem terrarum, unum justum injuste occideret, omnes injustos quos quasi injuste videbatur occidere perderet; non enim primos parentes nostros in paradyso ut de ligno vetito comedenter terroribus compulit, sed fraudulentis promissionibus persuasit ; non vim intulit, sed consilium dedit, ac per hoc quasi juste hominem possidebat, cui sese homo sponte subdiderat. Deus igitur Dei Filius *cam in forma Dei esset, non rapinam arbitratu*s est esse se æqualem Deo, sed *semelipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit semel*

*ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et inferorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris..... Est enim mediator Dei et hominum Homo Christus Jesus : qui si purus Deus esset, non esset alius apud quem intercederet : si purus homo, non esset qui reconciliare valeret. Junge porro ut sit Deus in Christo, et est mundum reconcilians sibi, ipse videlicet penes quem agendum est, ipse qui agit, sit idem missus, et idem regressus, sicut ipse judicatus et ipse judicaturus. Sedet itaque ad dexteram Patris, sicut ait Apostolus, et interpellat pro nobis, ut sacerdos videlicet noster, cui dicitur : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui in terra positus tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, ut et nos possemus exhibere corpora nostra hostiam viventem, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum, non vitulos, non sanguinem taurorum aut hyrcorum, quia scriptum est, Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hyrcos ; et, Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hyrcorum potabo ? sed illud quod sequitur, Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua : istæ enim sunt illæ spiritales hostiae acceptabiles Deo, quas nos princeps apostolorum Petrus Deo per Jesum Christum dicit offerre debere, ad quas spirituales hostias quia etiam actio pertinet gratiarum, vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos semper et ubique Domino sancto Patri omnipotenti æterno Deo gratias agere.*

*Per Christum Dominum nostrum.*

Vere enim ille Dominus noster est qui nos non corruptilibus auro et argento, sed pretioso sanguine suo de servitute diaboli, et vana nostra conversatione redemit, de quo etiam pretio beatus Paulus apostolus ait : Et non estis vestri, empti enim estis pretio magno. Igitur non sumus nostri, sed sumus servi ejus, qui nos emit pretio magno sanguinis sui. Sequitur :

*Per quem magistatem, etc., usque exultatione celebranti.*

Angeli Graece vocantur, Latine vero nuntii interpretantur ab eo quod Domini voluntatem hominibus nuntiant. Angelorum autem vocabulum officii nomen est, non naturæ : semper enim spiritus sunt; sed tunc solummodo vocantur angeli cum mittuntur. Dominationes vero quidam coelestis patriæ spiritus ideo vocantur, quia cæteris angelorum inferioribus agminibus dominantur. Potestates sunt quibus virtutes adverse subjectæ sunt, et inde potestatum nomine nuncupantur, quia maligni spiritus eorum potestate coercentur, ne tantum noceant quantum cupiunt. Virtutes illi angeli dicuntur, per quos signa et miracula in mundo sunt, propter quod et virtutes appellantur. Seraphim quoque similiter est multitudo angelorum, qui ex Hebreo in Latinum ardentes vel incendentes interpretantur. Idcirco autem ardentes

A vocantur, qui inter eos et Deum nulli angeli consistunt, et ideo quanto vicinius coram eo consistunt, tanto magis claritate divini luminis inflammantur. Angeli igitur sancti qui post lapsum diaboli et angelorum ejus perseverantia æternæ beatitudinis solidati sunt, et tantum firmitatis vigorem consecuti, ut nullo jam lapsu aversi, nulla superbia cadentes, sed firmiter in Dei amore et contemplatione manentes nihil aliud dulce habeant nisi eum a quo creati sunt, qui etiam et locis et singulis hominibus presunt : hi, inquam, tam laudabiles divinæ majestatis ministri, de quibus etiam Dominus et Salvator noster in Evangelio ait quod semper videant faciem Patris, pro tanta sui dignitate non se ipsis laudant, nec propriam gloriam querunt, sed majestatem Patris cujus haec omnia gratia percepunt. Hos ergo et nos homines in quantum possumus imitantes non extollamus pro donis gratiæ Dei, sed potius ipsis pro donis suis laudes incessabiles referamus. Si enim illi qui tanta jam firmitate donati sunt, ut nullum omnino casum pertinescant, tota se semper reverentia divinæ majestati submittunt, quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis, qui, ut beatus Job ait, quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet, omni se humilitate proprio semper debet subdere creatori, illum laudans semper, et semper justificans : se vituperans semper, et semper accusans ? Et si illi cœlestis patris spiritus qui dominationem vocabulum sortiuntur, eo quod cæteris angelorum agminaibus dominentur, non se de sua dominatione extollunt, sed majestatem proprii creatoris reverenter adorant : quanto magis homo aliis prælatibus hominibus nullatenus debet inflari, sed humili semper animo cogitare, quia et suus et subditorum sibi Dominus est in celis ! Si enim, ut Psalmista ait, universa vanitas omnis homo vivens, quid superbit terra et cinis ? Et qui potestates quæ a diabolo et angelis ejus, quos sanctus Job appellat horribiles, metuuntur, quique earum potestate coerciti non possunt tantum nocere quantum cupiunt : si hæc, inquam, tam fortes, tam potentes et tam metuendæ potestates cum omni tremore divinæ majestati se subdant, et tantam sui dignitatem ad gratiam referunt conditoris : quanto magis homo qui non solum malignos spiritus ne ab eis vincatur, verum etiam ipsis quoque vermiculos pertimescit, timorem Dei ante oculos semper habere, illum semper, etiam si ab aliquo timetur, tremere ac perpavescere debet ! Quod autem celos Deus cum coelestibus virtutibus majestatem Dei Patris socia exultatione ac laudibus celebrare, ita intelligendum est quod omnis creatura non voce sed opere laudet Deum, quia ex creaturis consequenter creator intelligitur, et in singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur. Item quod angeli laudare, dominationes adorare, tremere potestates dicuntur, non ita accipendum est quasi laudantes angeli majestatem Dei nec adorent nec trement, quod faciunt dominationes et potestates : vel quasi adorantes dominationes non laudent vel tre-

mant, quod faciunt angeli et potestates : aut rursum A trementes potestates non laudent vel adorent, quod faciunt angeli et dominationes : sed quidquid de singulari dictum est, aequaliter de omnibus sentiendum est ; cum enim scriptum sit : *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te*, qui dominationes et potestates habitare in domo Domini credit, Dominum eas in sæcula sæculorum laudare non dubitet. Nam et de virtutibus æque ut de angelis scriptum est, *Laudate eum, omnes angelii ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus*. Rursus cum scriptum sit, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestim, terrestrium, et infernum ; si omne genu cœlestium in nomine Jesu flecti credimus, non solum dominationes, verum etiam omnes angelorum ordines sicut Filium, ita et Patrem non dubitabimus adorare. Quod autem majestatem Dei Patris tremere potestates dicuntur, non hoc ex timore supplicii, quod non merentur; non ex timore offenditionis Creatoris, quam incurrere jam non possunt, sed ex reverentia et honore divinæ faciunt majestatis : tres enim constat esse timores, supplicii, de quo in psalmo dicitur, *Initium sapientiae timor Domini* : hunc enim habent qui pro commissis suis ne a Domino puniantur incipiunt jam timere. Est etiam timor offenditionis, quo a dilectoribus suis timetur Deus, ne vel in modico offendatur, de quo dicitur ad Abraham : *Nunc cognovi quod timeas Deum, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me*. Idem etiam alibi perfecta caritas appellatur, sicut scriptum est : *Perfecta caritas foras mittit timorem*, illum videlicet quem primo loco posuimus, de quo idem apostolus ait : *Qui autem timet non est perfectus in charitate, quoniam timor paenam habet*. Tertius timor est ex reverentia et honore procedens, quo nunc tremere Dei majestatem etiam potestates dicuntur, de quo etiam scriptum est : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*. In futura enim vita nec prius ille, nec secundus erit; sed hic tantum tertius in sæculum sæculi permanebit. Tremunt autem non sole videlicet potestates, sed omnes etiam cœlestis patriæ spiritus : nam cum scriptum sit, dicente Domino : *Quicunque honoraverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, manifestum est omnes cœlestium orиines ministrorum idcirco in tantum a Creatore glorificari, quia ipse quoque ab eis omnibus summo tremore ac reverentia honoratur. Denique si non cum honorarent, certum est quod contemnerent; si autem contemnerent, sine dubio non glorificarentur ab eo, sed essent ignobiles, ut diabolus et angelus ejus, qui eum non honorando contempserunt, et se honorando in perpetuæ damnationis opprobrium et contumeliam corruerunt. In sequentibus quoque cum dicitur, *Cæli cælorumque virtutes ac beata seraphim socia exultatione concelebrant*, manifeste ostenditur quia ille potestatum tremor non ex timore pœnie, sed ex reverentie honore procedit. Si enim divina majestas ab omnibus tremitur, etiam beata seraphim quæ exultare dicuntur, tremere non dubitantur; et si exulta-

B tio beatorum seraphim socia exultatione spirituum cœterorum, apparet quod omnes bonorum ordines spirituum supernorum divinæ majestati et tremant cum exultatione, et exultent cum tremore, illo, inquam, tremore, quos ante trementes sic Propheta admonet consequenter ac dicit, *Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus*. Tam proprie enim ipse dicentis spiritus audientum merita sequestravit, ut eum omnes audirent clamantem; ille tamen sibi haec intelligeret dici, qui ad Dei verbum non reatu conscientie, sed effectu reverentie tremuisset. Audi ergo hominem gaudio ac desiderio contremiscentem : *Servite, inquit David, Domino in timore, et exultate ei cum tremore*, et quoniam supernorum illa civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantum crelimus genus hominum ascendere, quantos illic contingit electos angelos remansisse, sicut scriptum est, *Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei*, superest ut ipsi quoque homines, qui ad cœlestem patriam redeunt, ex eis agnininibus aliquid illic reverentes imitentur, unde et protinus subinfertur :

*Cum quibus et nostras voces, etc.*

Orat enim in his verbis ex omnium persona sacerdos, ut voces hominum angelorum sermonibus supplici se confessione laudantium jubeat, id est dignetur cum beata seraphim gratariter admitti, id est recipi vel a sumi. Isaías namque propheta testatur se vidisse Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et seraphim quorum uni sex, et alteri totidem erant alæ, duabus velantia faciem ejus, et duabus velantia pedes ejus, et duabus volantia et clamantia alterum ad alterum, ac dicentia : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria tua*.

Imitatur ergo sancta Ecclesia in terris posita par tem sui, quæ in cœlis est constituta, non solum quod Deum supplici confessione conlaudat, verum etiam quod iisdem verbis ac sensibus easdem laudes concelebrat : consequens enim est, ut sit una laudatio, quorum futura est una eademque in domo Domini habitatio. Quod autem ter *Sanctus* in Dei laudem dicimus, Trinitatem personarum in unitate divinitatis ineffabili mysterio veneramus : in eo vero quod tum semel Dominum Deum Sabaoth constemur, unum Deum in Trinitate verbis cœlestibus prædicamus, nam Sabaoth ex Hebræo in Latinum vertitur, exercituum sive virtutum, quod et in prophetis frequentissime legitur dicentibus, *Hæc dicit Dominus Deus exercitum*, et in psalmo aperte et angelorum voce dicitur, *Quis est iste rex glorie? Dominus virtutum*. Quod autem sequitur :

*Pleni sunt cœli et terra gloria tua*, immensitudinem divinæ majestatis ostendit, nulla estimatione, nulla estimatione metiri valet ; mundo non capit, sic replet mundum, ut ipse contineat mundum, non contineatur a mundo : est enim mundo superior, inferior, exterior, et interior ; regendo superior, portando inferior, gubernando exterior, repleendo interior ; sic est per cuncta diffusus, ut non

sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, sine onere continens mundum, non tamen per spatia locorum quasi mole diffusus, non ut in dimidia parte sit dimidius, et in alia dimidia dimidius, atque ita per totum totus : non sic, sed in toto cœlo totus, et in tota terra totus, et in parte totus, et per cuncta totus, et nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus, ita Pater, ita Filius, ita et Spiritus sanctus, unus Deus Trinitas indivisa. Deinde subjuguntur :

*Osanna in excelsis.*

Et *Osanna* interpretatur salvifica, subaudiendo vel populum tuum, vel totum mundum, cui idcirco additur *in excelsis*, quod adventus Christi non tantum hominum salus, sed totius mundi sit, terrena jungens cum cœlestibus, ut omne genu ei flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum. Sequitur :

*Benedictus qui venit in nomine Domini*

Hoc autem non dicitur nisi soli Filio Dei, Salvatore quoque id ipsum in Evangelio comprobante, *Ego veni in nomine Patris mei, et non receperistis me, alius venit in nomine suo, et receperistis eum.* Peractis omnibus quæ supra memoravimus, facto magno circumquaque silentio, incipit jam sacerdos fixa in Deum mente salutarem corporis et sanguinis Dominici hostiam consecrare, quam offert generaliter pro Ecclesia Dei sancta catholica, et famulis famulabusque ejus, atque omnibus circumstantibus, quorum illi fides cognita est, et nota devotione, quicunque illi ipsum sacrificium offerunt pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumentatis suæ. Advocat etiam in adjutorium obsecrationis suæ gloriosam semper virginem Mariam genitricem Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatos simul apostolos ac martyres Dei, et omnes pariter sanctos, ut eorum meritis ac precibus in omnibus protectionis ejus muniamur auxilio. Orat præterea ut oblationem cunctæ familiae suæ Dominus placatus accipiat, ac per manus sancti angeli sui in sublime altare suum perferri jubeat, diesque nostros in sua pace disponat, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum suorum jubeat grege numerari. Hoc autem totum in commemorationem fit mortis Dominicæ ad tempus ab eo gustatæ, qua nos ab æterna mortis damnatione unigenitus Dei Filius misericorditer liberavit, sicut ipse panem et calicem accipiens in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cœlum, gratias agens ac benedicens, eaque discipulis suis dedit, ut manducarent et biberent; corpus et sanguinem suum esse confirmans, ait : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Hæc namque singularis victimæ ab æterno integrum animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licet surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, et in se ipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacre oblationis immolatur, ejus caro in populi saltem partitur, ejus sanguis non jam in manus infide-

lium, sed in ore fidelium funditur. Hinc ergo pensamus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolitione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum chorus adesse, summis ima sociari, terram cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri, unde et a secretis virtutibus, vel sacris sacramenta dicuntur; quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorum sacramentorum operatur. Ideoque seu per bonos, seu per malos ministros intra Dei Ecclesiam dispensentur, tamen quia Spiritus sanctus mystice illa vivificat, qui quondam apostolico in tempore visibilibus apparebat operibus, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur, *quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* : quam consecrationem corporis et sanguinis Dominici ideo semper in silentio / arbitror celebrari, quia sanctus in eis manens Spiritus eumdem sacramentorum latenter operatur effectum, unde et Graece mysterium dicitur, quod secretam et reconditam habeat dispositionem. Sed necesse est ut cum hæc sacerdos agit, semetipsum Deo in cordis contritione mactet, quia qui passionis Dominicæ mysteria celebrat, debet imitari quod agit. Tunc ergo vere pro nobis hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit.

*C Præceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere.*

Dominus et Salvator noster Jesus Christus in Evangelio præcepit dicens : *Et cum oratis, nolite multum loqui, sic autem ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Si ergo ethnicus in oratione multum loquitur, ergo qui Christianus est debet parum loqui; nam si ille ideo frustratur petitione sua, quia putat se in multiloquio exaudiri : debet iste parum loqui, ne similia patiatur : Deus enim non verborum, sed cordis auditor est. Hæc itaque præcepta et mandata salutaria nobis sunt, quibus admonemur ne per multiloquium orationis nostræ frustrationem mereamur, ut his paucissimis verbis quibus ex divina institutione atque eruditione formamur vel docemur, petitiones nostras apud Deum innotescere contenti simus.

*D Pater noster, qui es in cælis.*

Omnia quæ divinitus dicta factaque referuntur, sunt miraculo ipsis etiam cœlestibus tremenda ; stupore sunt pavenda mortalibus : sed nihil ita stupet cœlum, pavet terram, expavescit universam creaturam, quam quod servus Dominum patrem vocare audit, judicem suum reus genitorem nuncupat, conditio terrena suæ voce Dei adoptat filium; sed audemus, quia præsumptio dicentis non est, ubi auctoritas est jubet ; ipse enim nos dicere voluit qui nos docuit sic orare, *Pater noster, qui es in cælis*, non quod ille non sit in terra, sed ut per hoc germen esse noveris te cœlestis, et si te Dei filium tu fateris, vive quasi De-

filius, ut actu, vita, virtutibus, tanto possis responderem genitori.

*Sanctificetur nomen tuum.*

Quia a Christo vocatus es Christianus, petis ut prærogativa tanti nominis sanctificetur in te, quia nomen Dei quod per se et sibi sanctum est, aut sanctificatur in nobis nostro auctu [Forte, actu], aut nostro auctu blasphematur in gentibus.

*Adveniat regnum tuum.*

Iose dici: *Regnum Dei intra vos est.* Si intra nos est, veniat quid oramus? Est in fide, est in spe, est in exspectatione, sed ut veniat jam precamur; veniat autem nobis, non illi qui conregnat Patri in suo semper sinu permanens, sed veniat nobis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Dicimus, veniat regnum tuum, ut sic Deus regnet in nobis, quatinus in nobis desinat mors regnare, desinat regnare peccatum: *Regnavit, inquit, mors ab Adam usque ad Moysen.* Et alibi: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.*

*Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.*

Nunc in terra multa sunt pro diaboli voluntate, pro sæculi nequitia, pro desiderio carnis; in cœlo vero sit nihil præter Domini voluntatem. Petimus ergo ut interempto diabolo, ut novo sæculo, ut mutato corpore, ut destructo mortis imperio, ut absolta dominatione peccati, in cœlo et in terra, in Deo et hominibus una Dei eadem sit voluntas.

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Post regnum coeleste terrenum panem petere non jubemur, prohibente ipso cum dicit: *Nolite solliciti esse quid manducetis aut quid bibatis;* sed quia ipse est panis qui de cœlo descendit, petimus et precamur, ut ipsum panem quo quotidie, id est jugiter sumus in æternitate victuri, hodie, id est in præsenti vita de convivio altaris sancti ad virtutem corporis mentisque capiamus.

*Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Sic dicendo, o homo, indulgentiae modum, mensuram veniae, tu tibi dedisti, qui a Domino tantum tibi petis dimitti, quantum dimiseris ipse conservo. Dimitte ergo delinquenti in te totum, si vis ipse de tuis nihil debere Domino delictis; in altero dimitte tibi, si vis ipse vindicem vitare sententiam.

*Et ne nos inducas in temptationem.*

Deus, sicut scriptum est, neminem temptat; sed temptare dicitur, cum contumaciter euntes ad temptationis laqueos derelinquit. Sic Adam tentatoris insidias incurrit, dum sui precepta despicit conditoris: unde autem et a quo temptaretur, homo prodidit sic dicendo:

*Sed libera nos a malo;*

hoc est a diabolo, qui totius mali et auctor est, et origo. Diabolus natura coelestis fuit, nunc est nequitia spiritualis; ætate major sæculo, nocendi usu tritus, ledendi arte periliissimus; unde non jam malus, sed malum dicitur, a quo est omne quod malum est.

\* Desideratur hic aliquil. in ms.

A Hinc est quod propriis viribus liberari homo non potest carnalibus vinculis inligatus. Petendum nobis est ergo ut Deus nos a diabolo liberet, qui Christum terris ut diabolum vinceret commodavit. Clamet, clamet homo ad Deum, clamet, Libera nos a malo, ut a tanto malo, solo Christo vincente, liberetur.

Accepimus auditum fidei, formam Dominicæ orationis audivimus, Christus breviter orare docet, quia cito vult postulata praestare. Aut quid potentibus non dabit qui se ipsum non potentibus dedit? aut in respondendo quam faciet moram, qui in dictandis precibus vota supplicum sic prævenit? Neque illud nos moveat, quod quidam jactare solent: Si novit Deus quid oremus, et antequam petamus scit quibus indigemus, frustra scienti loquimur: nos B enim non sumus narratores, sed rogatores: aliud est: enim ignorantia narrare, aliud scientem petere; in illo indicium est, hic obsequium; ibi fideliter indicamus, hic miserabiliter obsecramus. Amen. Signaculum orationis Dominicæ posuere, ubi fideliter possumus dicere. Sequitur:

*Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris.*

Omnia mala quibus nos a Domino peccatum liberari vel præterita sunt, vel præsenta, vel futura peccata: nam præ ceteris malis ne veniant in sequentibus exoratur, cum dicitur, *Da propitiatus pacem in diebus nostris;* sicut autem in Evangelio Salvator, ait, *omnis qui facit peccatum, servus est peccati,* orat ergo sacerdos ut, præterita nobis peccata laxando, et de præsentibus ac futuris jugem tribuendo custodiam, Dominus nos a malis omnibus liberare dignet; facientes enim peccatum sumus omnes servi peccati. Neque aliter hujusmodi servitute possumus liberari, nisi Domini misericordia liberante; nemo enim potest peccata dimittere, vel aliquem a temptatione servare, præter solum Deum, qui non solum per se, verum etiam per subjectos sibi famulos quorum vult peccata dimittit; quibus dicitur in Evangelio: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Notandum sane quod Deum quem in oratione Dominicæ Patrem vocamus, in nostra Dominum appellemus; quia videlicet illud ex divina auctoritate præsumimus, hoc ex debito nostre devotionis offerimus: in illo nos Dei filios gratia, in hoc ejus servulos positemur natura; cui tamen digne servire non possumus, nisi prius peccatis inservire cessemus: ait enim Salvator in Evangelio, *Nemo potest duobus dominis servire.* Petimus igitur, ut Apostoli verbis eloquar, quo liberati a peccato, servi autem facti Deo, habeamus fructum nostrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Sequitur:

*Et intercedente beata Virgine, etc.*

Cum sancta Ecclesia persecutionis procella pulsatur, solet quidem in fortioribus membris suis gloriosissime triumphare, sed in infirmioribus quibusque ruinam gravissimam sustinere, et, quod fatendum est, magna in utrisque, id est et imbecillioribus

et robustioribus dispendia perpeti; nam persecutio-  
nis igne omnia populante, sicut infirmorum nonnulli  
temptati a fide recedunt, et ipsi pereentes etiam suo-  
rum corda pavere faciunt fratrum; ita et fortissimi  
quique, licet in semetipsis admiranda Deo, et ange-  
lis, et hominibus martyrii sui spectacula praebant, in  
aliis tamen solo exemplo non etiam prædicationis  
verbo proscire possunt. Orat ergo sacerdos in his  
verbis, ut sicut prosperitatis tempore a peccatorum  
nos Deus labé defendit, ita etiam nobis adversa per-  
secutionis avertat, quatenus nec infirmi terrore vel  
suppliciis superati a fide recedant, nec fortes et va-  
lidi quique a prædicationis et exhortationis fraternæ  
impediantur officio: quod quia certum est sanctos  
post vitæ hujus excessum cum Christo manentes  
indesinenter pro remanentibus in hoc mundo fratri-  
bus supplicare, petit ut beatæ et gloriosæ semper Vir-  
ginis Dei Genitricis Mariae et maximorum apostolo-  
rum intercessionibus Petri et Pauli apud Deum valeat  
obtinere. Sequitur:

*Ut ope misericordiae adjuti, etc.*

Ecce propter quid nos et ab omnibus liberari a  
Domino malis, et pacem dari temporibus nostris  
oramus, scilicet ut liberati a peccato et ab omni per-  
turbatione securi Domino Deo nostro sine timore in  
sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus no-  
stris servire possimus. Quod quia nec accipere nec  
facere nisi per auxilium possumus Salvatoris, recte  
subjungitur:

*Per Dominum, etc.*

Ipse enim Dominus et Salvator noster, qui est cum  
Patre in unitate Spiritus sancti una Deitas, una vi-  
vendi æqualitas, et vivificandi potestas in Evangelio  
discipulis ait: *Ego sum vita, et vos palmitæ estis; qui  
manet in me et ego in eo, hic affert fructum multum,  
quia sine me nihil potestis facere.* Et paulo superius  
dixerat: *Sicut palmes non potest ferre fructum a se,  
nisi manserit in vite; sic et qui in me non manserit.*  
Si quem vero scire delectat quid sit manere in eo,  
audiat ipsum dicentem: *Sicut illexit me Pater, et  
ego vos dilexi, manete in dilectione mea; si præcepta  
mea seruaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et  
ego Putris præcepta servavi, et maneo in ejus dilec-  
tione.* Si quis etiam nosse desiderat qualis et quanta  
non manentibus in eo immineat poena, audiat ejus-  
dem voce prædictum: *Si quis autem in me non man-  
serit, præcious est sicut palmes, et missus est foras,  
et aruit; et colligentes eos in ignem mittunt, et ar-  
dent.* Jam vero quod de manentibus in eo ipse sub-  
jungit audire gratius puto: *Si manseritis in me, et  
verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis  
petite, et fieri vobis.* Christus autem Graece Latineque  
dicitur unctus; ipsi enim Propheta in psalmo decantat:  
*Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea un-  
xit te Deus, Deus tuus, oleo latitiae præ consortibus  
tuis.* De ipso etiam summus apostolorum Petrus in  
Actibus apostolorum ad Cornelium et eos qui secum  
aderant dicit: *Vos scitis quod factum est verbum per  
totam Judæam; incipiens enim a Galilæa post bap-  
tismum*

*A ma quod prædicavit Iohannes, Jesum a Nazareth quo-  
modo unxit eum Deus-Spiritu sancto et virtute; quod  
enim Propheta oleum latitiae, hoc Apostolus Spiriti-  
tum sanctum et virtutem Dei appellat. Ihesus vero  
Hebraice, Latine Salvator interpretatur, quod aperie  
angelus ad Joseph in somnis loquens de Maria te-  
statur cum ait: *Pariet autem filium, et vocabis no-  
men ejus Ihesum; ipse enim salvum faciet populu-  
sum a peccatis eorum.* Dehinc antequam communi-  
cetur, exclamat sacerdos, et dicit:*

*Pax Domini sit semper vobiscum.*

Nihil enim sine pace placitum Deo est, nec ille qui  
dixit: *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem  
meum, in me manet et ego in eo, in corde ma-  
nere potest odii ac dissensionibus maculato;* non est  
enim Deus dissensionis, sed pacis. Orat ergo sacerdos  
ac præmonet ut pax Domini sit nobiscum, quatenus  
perceptione sacrosancti corporis et sanguinis Domini  
nostrí Ihesu Christi non ad reatum sed ad solutio-  
nem nobis omnium proficiat peccatorum; *quicun-  
que enim manducaverit corpus Domini, ut ait Apo-  
stolus, et calicem ejus biberit indigne, judicium sibi  
manducat e: bibit.* Rursum Salvator in Evangelio  
ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et bi-  
beritis ejus sanguinem, non habebitis vitam in nobis.*  
Igitur si non manducaverimus neque biberimus, non  
habebimus vitam in nobis; si autem indignè mandu-  
caverimus et biberimus, judicium nobis manducabi-  
mus et bihemus. Purgandus est itaque animus, et

*C quantum in nobis est cum omnibus pax habenda, ut  
digne sumendo corpus et sanguinem Domini, et mor-  
tem et judicium evadamus, et vitam ac remedium  
per eorum perceptionem accipere mereamur. Quod  
autem inter communicandum a cantoribus exclama-  
tur:*

*Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis,*  
propter illud sit, ut impleatur in nobis quod beatus  
Johannes apostolus ait: *Si dixerimus quia peccatum  
non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis  
non est: quod si confiteatur peccata nostra, fidelis et  
justus est, ut remittat nobis peccata nostra, et emendet  
nos ab omni injustitia.* Quomodo autem id fiat, idem  
ipse apostolus paulo superius sic ostendit: *Si in lu-  
mine ambulamus, sicut ipse est in lumine, societatem  
habemus ad invicem, et sanguis Ihesu filii ejus emun-  
dat nos ab omni peccato.* Itemque in sequentibus ait:  
*Filioli mei, hæc scribo vobis, ut nor peccatis: quod si  
quis peccaverit, deprecatorem habemus ad Patrem Je-  
hesum Christum justum, et ipse exoratio est pro pec-  
catis nostris; non autem pro nostris tantum, sed et pro  
toto mundo.* In quibus verbis satis appetet quam co-  
sequenter de Domino et Salvatore nostro beatissimus  
Baptista Johannes testatur in Evangelio dicens: *Ecce  
agnus Dei, qui tollit peccata mundi: de ipso quippe  
et Isaias propheta ait: Tanquam oris ad occisionem  
adductus est, et sicut agnus coram tendente se sine  
voce, sic non aperuit os suum; in humilitate judicium  
ejus sublatum est.* Communicato post hæc clero vel

populo, oratio ex more colligitur, et a diacono protinus exclamatur.

*Ite, missa est.*

Missa autem proprie tempore sacrificii est quando canticum foras mittuntur, clamante levita : Si quis remansit canticum, exeat foras; et inde missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt qui

A nondum regenerati noscuntur. Quibus celestibus ac super omnia salutaribus sacramentis, ut nos qui jam Dei gratia ex aqua et Spiritu sancto sumus renati dignae interesse possimus, ipse qui haec in suam commemorationem celebrari præcepit, prestare dignetur, cui est cum Patre in unitate Spiritus sancti gloria et honor, virtus et potestas in secula seculorum. Amen.

# PIPPINI ET CAROLOMANNI

## FRANCORUM REGUM

# DIPLOMATA

### NECNON QUORUM DAM INTER ILLUSTRIORES FRANCOS ET GERMANOS

### SÆCULI VIII MONUMENTA SELECTA.

#### I.

#### CAROLOMANNI PRINCIPIIS

#### CAPITULARE AN. 742.

(Pertz, *Monumenta Germaniae*, etc.)

Codices quorum ope constitutionem hanc recognovimus, hi sunt:

1. C. bibl. Vaticanae Palatinus n. 577, sœc. viii exeuntis vel noui ineuntis; unde et Holstenius pridem ediderat.

2. C. bibl. regiae Monacensis olim Moguntinus, a cl. Würdtwein in edendis sancti Bonifaci epistolis adhibitus, sœculi ix, cuius loca aliquot a V. cl. Pföringer iterum collata sunt.

3. C. bibl. imperialis Vindobonensis inter Theologicos n. 259 insignitus, sœculi ix, quo et Serrarius in editione sua usus est.

4. C. bibl. aulic e Carlsruhae membr. sœculi x, a. V. cl. F. Molter bibliothecæ illius præfector collatus.

5. C. bibl. regiae Monacensis olim Frisingensis, signatus C. F. 25, sœculi x, a Boehmero nostro cum editis collatus.

6. C. divi Marci Venetiis, chartaceus, sœc. xv, quem æque ac codices 1 et 3, ipsem cum editis contuli.

Codices isti antiquissimi cum unanimi inter se consensu ab editionibus discrepant, has adhibito Benedicti textu corruptas fuisse existimaverim. Capitum distinctionem, codicibus incognitam, qualem Baluzius a Sirmondo acceperat, retinendam duxi.

In nomine domini nostri Iesu Christi. Ego Carlmannus, dux et princeps Francorum, anno ab incarnatione Christi septingentissimo 42°, <sup>ii</sup> Kalendas Maias, cum consilio servorum Dei et optimatum meorum, episcopos qui in regno meo sunt cum presbiteris, et concilium et synodum pro timore Christi congregavi, id est Bonifatium archiepiscopum, et <sup>a</sup> Burghardum, et <sup>b</sup> Regenfridum, et <sup>c</sup> Hwitanum, et <sup>d</sup> Vuillabaldum, et Dodanum, et <sup>e</sup> Eddanum, cum presbiteris eorum, ut mihi consilium dedissent, quo-

<sup>a</sup> Wirtziburgensem.  
<sup>b</sup> Coloniensem.  
<sup>c</sup> Buraburgensem.

modo lex Dei et aecclesiastica relegio recuperetur, quæ in diebus praeteritorum principum dissipata corruit, et qualiter populus christianus ad salutem animae pervenire possit, et per falsos sacerdotes deceptus non pereat; et per consilium sacerdotum et optimatum meorum ordinavimus per civitates episcopos, et constituimus super eos archiepiscopum Bonifatium, qui est missus sancti Petri. Statuimus per C annos singulos synodum congregare, ut nobis praesentibus canonum decreta et aecclesiae iura restaurentur, et relegio christiana emendetur. Et fraudatas pecunias ecclesiarum ecclesiis restituimus et redidimus. Falsos presbiteros et adulteros vel fornicatores diaconos et clericos de pecuniis ecclesiarum abstulimus et degradavimus, et ad poenitentiam coegimus.

2. Servi Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum et in hostem pergere, omnino prohibuimus, nisi illi tantummodo qui propter divinum mysterium, missarum scilicet solemnia adiunplenda, et sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt. Id est, unum vel duos episcopos cum capellanis praesbiteris princeps secum habeat, et unusquisque præfectorus unum presbiterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare et indicare poenitentiam possint. Necnon et illas venerationes et silvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdiximus. Similiter ut acceptores et walcones non habeant.

3. Decrevimus quoque iuxta sanctorum canones, ut unusquisque presbiter in barrochia habitans episcopo subiectus sit illi in cuius barrochia habitet; et semper in quadragessima rationem et ordinem ministerii sui, sive de baptismo, sive de fide catholica, sive de precibus et ordine missarum, episcopo redat

<sup>d</sup> Eichstetensem.  
<sup>e</sup> Argentoratensem.